

Johann Weinmann Johann Wolfgang Kleesattel

Theses Logico-Theologicae De Cognitione Dei Definitiva An Detur?

Altdorphi[i]: Scherffius, 1638

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn786502932>

Druck Freier  Zugang



A-D
 A-K
 25p
 A-F
 20p
 A-B
 34p
 A-B
 A-G
 A-E
 A-C
 A-F
 A-V
 A-H
 A-C
 A-B
 A-E
 A-F
 A-D
 A-F
 A-C
 A-B
 A-C
 A-B
 A-C
 A-D
 A-B
 24p
 A-F
 A-D
 A
 31
 A-B

A. B 52 b. 6.

52

38p
32p

Fa-1092 (52.)


DISPUTATIONES THEOLOGICAE MISCELLANEA.
Tomo hoc XCVII. comprehensives.

Scrutinium Scripturae Sacrae. Pr. D. Puff. 1.	De Triplici Officio Christi. Praef. 25.
Conformitas Iudeo. Papistica in loco de Scriptura Sacra. Pr. D. N. Gesero. 2.	De Michaele Beheimio. 26.
de Analogia Filii. Pr. D. Abi. Calovia. 3.	De Problemate Theologico. Ad Arth. culus Filii de Ascensione Christi in Cordas quicquam demget verae in Corpore et Sanguine ejusd. Prae Corporis et Sanguinis. Pr. D. 4.
de Interpretatione Scripturae S. L. Mylio. 5.	Sentia in S. coena. Praef. D. Scolastico Myliota. 27.
de Hermeneutica vera et falsa. ad 2. Pct. 1. 7. 20. 21. Praef. D. D. Debelio. 6.	De Poenitentia Peccatorum Nini tica. ad Ion. c. 3. comm. 2. Praef. 27.
de Cognitione Dei definitiva, an debeat Pr. N. Joh. Wemmamo. 7.	Joh. Fridenco Mayerol. Vicent. De Sigillo Confessionis. Pr. D. Johan. 28.
de Sanctissimo Trinitatis Mysterio. Pr. Sebast. Niemamo. 8.	De Numo Confessionario. Non Pruidi pennung. Comment. Math. 3. P. Miller 29.
de Personarum divinarum distinctione, an et quanam illa sit. Praef. Eodem. 9.	De Satisfactionibus propriis pro pecc nis temporalibus. Nemi sat culpa in hac vita. Pr. D. Joh. Dehmio. 30.
de Actione Dei prima in tempore, quae dicitur Creatio. Pr. N. Joh. Wemmamo. 10.	De Regula hujus Naturae. Pr. D. Debel. 31.
de Permissione divina circa peccata. Pr. Christiano Chemnitio. 11.	De Confucto Pontificiorum Septe nario Sacramentorum Nume Pr. D. Joh. Ernesto Gerharo. 32.
de Apparitionibus Daemonum. Pr. D. Joh. Meisnero. 12.	De Baptismo. Pr. N. Lev. Pouchenio 33.
de Natura et Qualitate Luminis Glo ria. Pr. D. Joh. Ernesto Gerharo. 13.	Quart. Cas. Cum Abstemijs quid agendum in S. Synaxi. Pr. 34.
de Peccato Veniali. Praef. Eodem. 14.	Analysi quest. 1. Cor. 10. Praef. D. Joh. Dehmio. 35.
de Peccato in Spiritum Sanctum. Pr. N. Joh. Wemmamo. 15.	De Fide in Mesiam Patriarchali ex Genes. 29. 1. 18. Pr. D. S. Schmidio 36.
de Phrasi Scripturae, qua Deus dicitur Indurare, Excoecare. Pr. D. S. Schmid. 16.	De Donis Operibus. Pr. N. I. Wainman 37.
de Verbis Liberi Arbitrii in Conversione. Pr. D. Sebast. Niemamo. 17.	De Donis Operibus. Pr. D. S. Niemamo. 38.
de Actione Dei prima ab aeterna, qua dicitur Praedestinatio. Pr. N. I. Wemmamo. 18.	De Honoru Operum Necessitate. 39.
de Phrasi Scripturae, Delectionis à libro Vita. Praef. D. Sebast. Schmid. 19.	Jura Clavis Ligantis. Pr. D. Jambay 40.
de Foemina Circumdante Virum tan quam ovo, quod creat Dominus. ex Verem. 31. 1. 22. Pr. Habichhoffio. 20.	Jura nova sive de novis Exce. vrbis. Pr. G. Groenio. 41.
de Aphorismo Joh. Chry. Verbum Caro factum est. Pr. N. Joh. Wemmamo. 21.	Purgatorium exustum q. Papietas. 42.
de Aphorismorum Theolog. de In caratione Filij Dei Domini X. I. C. Pr. D. Eodem. 22.	De Reliquis Christi et Sanctorum Carum cultu. Pr. D. S. Niemamo. 43.
de Aphorismo Paulino ex 1. Tim. 3. H. Deus manifestatus est in carne. Parallelsma Calvin. Nestorianus. Praef. Johanne Adalmo Scherzere. 23.	De Resurrectione Mortuorum. 44.
	Pr. N. Lev. Pouchenio. 45.
	De Resurrectione Impiorum. Pr. 46.
	D. Johanne Meisnero.
	Contra Empyctas Promissionis Adventus Christi Ulamij. Pr. D. Wemm 47.
	De Gemitu Creaturae intelligentis. 47.
	Pr. D. I. Christophoro Ottone.
	De Appellatione ad supernum Ju. 48.
	dicem se sum Christum. Pr. I. E. Gerharo 49.
	De Ascensu Viventium. Praef. 49.
	D. Sebastiano Schmidio.

Collecte à N. Antonio Ulrico
Comp. Tubinga. Anno.
d. 14. Junij.

Hoffen. Augustano.
1680

V



THESES LOGICO-THEOLOGICÆ
DE

COGNITIONE
DEI DEFINITIVA
AN DETUR?

PRO

Quarum veritate

Adminiculante S. S. Triade

SUB PRÆSIDIO

M. JOHANNIS WEINMANNI,
SS. Theol. Prof. Publ. & Eccl. Minist.

PUBLICÆ

Disputando pugnabit

JOHANNES WOLFFGANGUS KLEESAT-
TELIUS NORIMBERGENSIS.

In Auditorio Majore

Ad diem Junij.

ANNO CHRISTI,

M. DC. XXXIIX.

ALTDORPHI,

Typis BALTHASARIS SCHERFFI,
Universitatis Typographi.

VIRIS

Admodum Reverendis, Clarissimis atq; Excellentissimis

Dn. M. JOHANNI SAUBERTO, ad D. Sebaldi,

Dn. M. CORNELIO MARCI, ad D. Laurenti,

Dn. M. CHRISTOPH. WELHAMERO, ad S. S.

Pastoribus vigilantissimis & Concionatoribus
gravissimis, meritissimis,

UT ET

Clarissimo atq; Doctissimo

Dn. M. GEORGIO SCHRÖDERO, Rectori

Scholæ Laurentianæ fidelissimo,

NEC NON

Honoratissimis ac Spectatissimis Reipub. Noriberg.

Civibus atq; Mercatoribus Primarijs

Dn. JOHANNI EYSERO, &

Dn. PAULO HEIGELIO,

Dnn. Patronis, Promotoribus, Evergetis,

summo Reverentiæ & obedientiæ cultu
nunquam non prosequendis,

Exercitium hoc Philosophico - Theologicum

Dat, Dicat, Dedicat

Joh. Wolfgangus Kleefattel, Norimb.

Respondens.



THESIUM LOGICO - THEOLOGICARUM

I.



Citè Dionysius lib. de Myst. Theol. c. 2. & 7. ait: *Noster intellectus triplici via à rebus creatis ad DEI notitiam provehitur; via eminentia, negationis & causalitatis.*

2. Via eminentiæ ipsi est, quâ, quicquid in rebus creatis eminet, hoc est, aliquam notat excellentiam ac perfectionem, DEO quadam similitudine & modo sibi competente tribuimus, ut cum dicimus, DEUM esse bonum, justum, sapientem, misericordem, & quæ sunt alia.

3. Desumitur hæc via ab æquivocatione, quæ est inter DEUM & creaturas, non entitativa, ut quidam male philosophantur, sed effectiva. Est enim DEUS omnium creaturarum causa æquivoca, ac proinde omnium perfectiones verè in se continere dicitur modò eminentissimo; cum nulla omninò causa sit deterior, sed contra potius omnis perfectior & eminentior suo effectur.

4. Quod idem & subtilitatù Magister Scaliger vult Exerc. 6. sect. 2. quando nostrum gloriosissimum vocat OMNIA SIMPLICITER, innuès, è quorumvis generum, perfectionibus, quæ in rebus creatis (præcipuè intelligentibus) inveniuntur, Ipsum habere SUAS, modo autè longè eminentiori, quàm in suis reperiuntur suppositis.

5. Viam negationis appellat Dionysius, qua omnia à DEO removemus, quæ aliquam in creaturis dicunt imperfectionem ac defectum, ut DEUM esse infinitum, incorporeum, iacircumscriptum, impatibilem, immortalem &c.

A 2

6. Obser-

Handwritten notes on the right edge of the page, including numbers 31, 32, 37, 20, 28, 40, 41, 1, 2, 11, 11.

7
6. Observandum tamen, hæc & similes negationes de DEO usurpatas, non esse tales SIMPLICITER, sed sub eis etiam excellentiores positiones, affirmationesque delitescere. Quinimò cum Scoto lib. 1. dist. 3. quæst. 1. manifestam implicare contradictionem adserimus, aliquid velle cognoscere solum viâ negationis, præsertim, quando hæc necessariò inest. Talis enim negatio verè cognoscibilis non est, nisi per suam oppositam affirmationem, ex qua constituitur, teste Philosopho lib. *æli. è qu. c. 5.* *Certè qui negat, hoc ipso affirmat negationem; sicut qui dissuadet, suadet non esse faciendum,* Scal. lib. 3. de re poët. c. 105.

7- Tertia Dionysij via, quam causalitatis indigitat, est, quâ DEUM ex suis effectibus & operationibus cognoscimus; cum mens nostra facile intelligat, in essentiali causarum & principiorum subordinatione progressum in infinitum extendi haut posse. De hac via concionantem lege Paulum nostrum Rom. cap. 1. vers. 19. 20.

8. Cæterum hisce num etiam via definitionis sic accensenda, hodie non caret controversia. Novimus præter Vorstium, ex neotericis nonnullos Philosophastros, qui affirmativam defendere allaborant, sanè non sine insigni impietate & blasphemia in ipsum DEUM, eiusque revelatum verbum, quæ secum etiam conjunctam habet aut Philosophiæ Peripateticæ turpem ignorantiam, aut pessimum ejusdem abusum.

9. Quid enim aliud definitio, quam instrumentum comparandæ scientiæ, explicans rei quidditatem; seu ut verbis Aristotelis utamur, *Oratio, quæ quid erat esse,* aut si mavis, *quid est esse, significat,* ut patet ex 1. 2. post. c. 10. 1. 1. top. c. 4. 1. 7. Met. c. 5. & alijs? Jam verò talem oratio-

orationem de DEO ejusve infinitâ naturâ formare, nulli hominum possibile est; cum ea sit imperscrutabilis & ineffabilis penitus, neque ulla ratione, ut est, cognoscibilis.

10. Et quamvis Scripturæ beneficio reveletur nobis omne DEI consilium, Actor. c. 20. v. 27. accognitioni nostræ nihil desit, quod ad consecutionem vitæ aternæ pertinet, Joh. c. 20. v. 31: tamen dicimur eum cernere per speculum in enigmate, & cognoscere ἐκ μέρης, ex parte, hoc est, imperfectè, I. Cor. c. 13. v. 12.

11. Inhabitat enim lucem inaccessam, I. Timoth. c. 6. v. 16. Ubi haut dubiè nomine lucis nihil aliud intelligitur, quàm infinita & incomprehensibilis ipsius DEI majestas, quæ omne intellectus lumen longissimè exuperat. Unde etiam addit epitheton ἀπερίοτον, ne quis fortè ingenij sui acumine fretus, contemplationi illi sese committat, quâ in perfectam lucis hujus cognitionem penetrare præsumat.

12. Ait porrò, quod DEVM nemo hominum viderit, neq; etiam videre possit. Quæ verba Præclarissimi Theologorum cum D. Chrysostomo de visione intellectus, hoc est, cognitione accipiunt. Sicut & D. Athanasius, quem Veritatis propugnaculum non abs re veteres nominârunt, illa Joh. c. 1. v. 18: DEVM nemo vidit unquam. Non tamen de quacunq; sed solida & perfecta, cujus aptissimum principium est definitio.

13. Quò respiciens Damascenus lib. 1 de Orth. fide c. 13 ait: τὸ θεῖον ἀκατάληπτον πάντως ἔάνωυμον. Et Arnob. l. 3, contra gentes: Quicquid de DEO dixeris, quicquid tacita mentis cogitatione perceperis, in humanum transibit & corrumpitur sensum, nec habet propria significationis notam, quod nostris dicitur verbis, atq; ad negotia humana compositis.

Unus est hominis intellectus de DEI natura certissimus, si scias
& sentias, nihil de illo posse mortali oratione deprovi. Paucis
Nazianz. Orat. 2. de Theol. Quid DEVS sit secundum na-
turam & essentiam, nemo mortalium invenit, nec inveniet.

14. Nam quæ sunt perfectissima, eorum ferè nihil
de ipso enuntiari valet, ideoque potiùs quid non sit,
quàm quid sit DEUS, dici posse, constans Theologorum
omnium sententia est. Quocirca non immeritò B. Au-
gust. l. II. de Ordin. pronunciat: DEVS melius scitur ne-
sciendo, hoc est, melius negatione & remotione cogno-
scitur, quàm affirmatione. Omnis autem vera & essen-
tialis definitio, teste Aristotele l. I. post. c. 15. l. 6. top. c.
6. & toto rectè Philosophantium choro, affirmativa esse
debet, non negativa. Quippe negatio intra definiendæ
speciei essentiam esse nequit; cum nihil constet ex suo
opposito. Ab hisce definitionibus, sunt verba Scaligeri Ex-
erc. 113. f. 2. quæ negatione constituuntur, nostra consuetudinis
est abstinere.

15. Ipse quoque Philosophus noster affirmat l. 9.
Met. c. 6. non omnium quarendam esse definitionem. DEUM
Opt. Max. verò inter hæcce præcipuas obtinere, ex no-
stro discursu patet liquidissimè.

16. Quæ autem definitione, vera scil. & accurata,
quæ ad ἀκριβείαν præceptorum Logicorum exactè
congruit, explicentur, idem declarat l. 7. Met. c. 5. hisce
verbis: δῆλον, ὅτι μόνης τῆς ἰσίας ἐστὶν ὀρισμὸς. Et paulo
post; οὐδενὸς ἐστὶν ὀρισμὸς, εἰδὲ πὸ τί ἦν εἶναι εἰδένι ὑπάρχει,
παλὴν τῆς ἰσίας. Nunc DEUS est ἰσία ὑπερῆσι, non tam
substantia, quàm supersubstantia, juxta Damasc. c. 4. Dial. &
lib. I. de Orth. fid. c. 8. Seu ut loquitur Hierotheus apud
Dionys. l. I. c. 11. de Div. Nom. ὑπερῆσι ὑπερῆσιως ἔχω
ὑπερῆσιον. Ac proinde nec per se, nec reductivè eum,
in præ-

in prædicamentorum civitatem recipere volunt Fontana & Anton. Ruvio.

17. Neque hoc prætereundum, omnem substantiam, sensu logico spectatam, substare accidentibus, ut docet Aristoteles lib. Cat. c. de substantia, & l. 5. Met. c. 8. ubi ait: *Hæc omnia ex eo dicuntur substantia, quoniam non de subjecto dicuntur, sed de eis cetera.* Adseverare autem de DEO, quod connotet respectum ad accidentia, eorumq; sit sustentaculum, vel fulcimentum, vel fundamentum, multis modis absurdum ac pariter impium, est, imò ipsi Philosopho contrarium, ut liquet ex l. 12. Metaph. c. 7.

18. Adhuc specialius ratiocinatur l. 7. Met. c. 4. affirmans: οὐκ ἔστιν ἕδον τῶν μὴ γένος εἰδῶν ὑποδέχον τὸ τί ἦν εἶναι, ἀλλὰ τῶν μόνον. Ergò ex mente Aristotelis *sola substantiarum species* definitionibus explicari possunt ac debent.

19. Jam DEUS ut substantia prædicamentalis non est: ita nec speciei rationem habere potest, quæ necessariò aliquam importat compositionem, ipsius tùm *summa simplicitati*, tùm *infinita perfectioni* maximè repugnantem.

20. *Ex simplicitate divina* hæc duci potest ratio; quia omnis species ex duabus constat entitatibus, altera generis, altera differentia, l. 1. top. c. 8. l. 6. c. 4. & 6. l. 7. Metaph. c. 12. quæ partes rei definitæ adæquatè designant. Atqui DEUS, qui unius, ejusdemq; simplicissimæ naturæ est, compositionem ex talibus entitatibus non admittit.

21. Non ex differentia; cum hujus ratio formalis requirat, ut sit extra essentiam generis, vel ut neque de ea genus, neque species, cujus est differentia, prædicetur,

7
cetur, l 6 top cap. 6. Porph. Isag. c. 7. In DEO autem nihil est, quod non sit ipse DEVS, Bernhard. in tract. de diligendo DEO. Identificat sibi essentia divina omnia, quæ sunt in divinis, ut loquuntur Theologi. Ergo etiam nihil in DEO esse potest, quod habeat rationem differentia.

22. Negata differentia in DEO, ultrò sequitur, neq; genus de eo verificari posse. Negato enim contrahente, (differentia) negatur quoque contrahibile; (genus) quia impossibile est, dari naturam genericam, quæ non sit contracta per differentiam actuantem, à qua aliquam accipit perfectionem, quam, ut sic, non habet.

23. Accedit, quod omne genus est informe & potentiale, habens potentiam, ut possit restringi. In DEO autem omnia sunt restrictissima, & nimiooperè repugnat, ipsi aliquam tribuere potentialitatem, cum sit ens ab intrinseco necessarium & actus purissimus. Contra: πάν δυνατὸν ἀπλῆς, l 3, Phys. c. 2.

24. Est, qui dicit, compositionem ex genere & differentia simplicitati DEI non obstare; quia non est compositio absolutè & sine addito, sed saltem rationis, quæ communiter est extra rem vel objectum, quod ex genere & differentia est compositum, illudq; extrinsecè solum denominat, ac consequenter nullam in eo dicit imperfectionem. Hinc nonnulli, ut refert Suarez disp. Metaph. 30. l. 4. n. 29. eam potius constitutionem, quam compositionem dicendam esse contendunt.

25. Respond. Verum esse de ea compositione rationis, quod simplicitatem DEI non evertat, quæ aliunde nullam infert imperfectionem DEO repugnantem. Hoc cum de compositione ex genere & differentia dici nequeat, ut patet ex thes. 20. 21. 22. 23. (quemadmodum

7
dum nec de ea, quæ dicitur *ex esse & essentia*) hinc jure meritoque removetur à DEO.

26. Liquet hinc etiam, quod eadem compositio cum *infinita DEI perfectione* consistere neutiquam possit. Nam quicquid verâ & essentialiter perfecta definitione explicari potest, habet etiam essentiam dependentem ex genere & differentia, quæ dependentia manifestè repugnat ei, quod est in essentia infinite perfectum.

27. Præterea si DEUS esset species definibilis, necessariò subiceretur alicui generi. Cujusq; autem generis natura ita est comparata, ut sit æqualiter in omnibus, quæ sub illo continentur, ajente Porphyrio Isag. c. 9. & 10. Si hoc? dabuntur etiam creaturæ æquè perfectæ in aliquo essentiali attributo, atque ipse DEUS est, ex nimirum, quæ cum DEO ponuntur sub eodem genere, quod tùm rectæ rationi, tùm infinitæ DEI perfectioni est adversissimum.

28. Omne in supergenus est naturâ prius sua specie. Et dicit Philosophus l. 6 top c. 4: *Quicquid propriè definitur, id definitur per prius.* Atqui DEO nihil est naturâ prius; cum Ipse sit omnium primus & novissimus; Ergò nec propriè loquendo definiri potest.

29. Non igitur probamus eam, quæ habet Piscator Herborensis vol. 1. thes. theol. loc. 2. de DEO, pag. 76. *Vocabulum Spiritus*, inquit, *statuimus pro genere in definitione Dei; quia de Deo & angelis, & animabus hominû conveniunt, id est, univocè prædicatur, ita scilicet; ut & nomen, & definitio nominis illis singulis verè tribuatur, idq; non reciprocè.*

30. Quis enim nostrum non novit, longè alia ratione hoc vocabulum tribui DEO, quàm angelis & animabus? Et quamvis hoc largiamur, æquè dici de

B

DEO,

DEO, cæterisque substantijs incorporeis, quatenus significat negationem corporis: tamen entitas, quæ negatione corporis innuitur, non est ejusdem rationis in DEO & cæteris substantijs corporis expertibus.

31. Quemadmodum DEUS, juxta Damascenum & Hierotheum supra thes 16. est *εἰς τὸ πνεῦμα*: ita quoq; Spiritus, ut sic dicamus, spiritualissimus est, supra reliquorum spirituum seriem longè evehctus, & infinitis modis illis superior.

32. Idem responsum esto Goclenio, qui lib. 3. Probl Log problem. 51 & 63. contendit, tam essentialem esse hanc enuntiationem, *DEUS est spiritus* vel *essentia*, quàm istam, *Callias est homo*; & Logicum sub unum genus seu formam enuntiationes has reducere: *Gabriel est spiritus*, & *DEUS est spiritus*, DEUMq; cum Spiritibus convenire in genere Logico &c.

33. Hæc falsissima esse, vel tyro Logicæ testis erit, qui modò naturam speciei habet cognitam. Nam si ita se habet spiritus vel essentia ad DEUM, ut homo ad Calliam, sequitur ita utrobiqu; essentialem esse prædicationem ut quemadmodum homo æqualiter prædicatur de suis individuis, citra dependentiam unius ab altero: ita quoq; Spiritum vel essentiam prædicari de DEO & rebus creatis, quod affirmare, christianâ religione prohibemur.

34. Porro cum omnia idem genus logicum habentia, in eadem quoq; essentia generica conveniant, quæ æqualiter participatur à suis inferioribus, thes 27. sequetur tandem ex hac Gocleniana adsertione, DEUM & creaturas quatenus sub eodem sunt genere logico, in eadem essentia generica convenire, & quoad hanc, quæ ab ipsis tanquam inferioribus, æquali prorsus ratio-

ratio-

7
sus ratione participatur, planè non differre, quod rur-
sus absurdissimum

35. Nec juvat Goclenium in all. locis distinguere
inter DEUM in se & dialecticè spectatum. Priori sensu
concedit, ipsum esse *ἁπλοῦς καὶ ἀσύνθετος*; posteriori
verò citra jacturam simplicitatis suæ ipsi aliquid ut ge-
nus, & aliquid differentia loco posse attribui affirmat.

36. Notandum enim, quod omne noema logi-
cum fundamentum habeat in re, nec inane sit cogita-
tum & commentum, cui nihil extra animum respon-
det. *Non sumitur genus, sed ipsum per se est.* Scal. Ex. 130.
Imò quoties datur conceptus, qui non congruit cum
re extra mentem existente, toties etiam ille pro falso
reputandus; qualis certè est ille, quo in mente mea
concipio, DEO & rebus creatis competere quandam
naturam communem, cum tamen in rei veritate ita
non sit.

37. Dicis: Nihilominus DEUS est universale re-
spectu trium personarum, & sic species definibilis. *Uni-
versale namq; est, quod pluribus inesse aptum est.* 1. 7. Metaph.
C 13; & *quod de pluribus predicari aptum est,* lib. *θεοῦ ἰσμ. C.*
7. Atqui DEUS est in pluribus, tribus scil. personis, &
de ijs predicari aptus est, ut passim docet Scriptura, &
nemo Christianorum negat; Ergò.

38. Verùm responsio non est adeò difficilis, ni-
mirùm, non omne illud statim pro Universali haben-
dum, quod quovis modo pluribus inest, & de illis præ-
dicatur: sed requiritur etiam; ut in illis multiplicetur
secundùm rem, sicut natura hominis multiplicatur in
suis individuis, ut rectè dicam, Callias, Petrus & Paulus
sunt tres homines. Alia verò est ratio naturæ divinæ
respectu trium personarum, in quibus multiplicari ne-

B 2

quit.

quit. Non enim dicere possum: Pater, Filius & Spiritus Sanctus sunt tres Dii &c. E, universale non est.

39. Deinde in Schola Peripatetica numero unum & universale opponuntur. Atqui *natura divina est numero una in tribus personis*, ut loquitur Monlorius de Univers. p. 445; Ergo rationem universalis habere nequit. Unde B. Augustinus concludit rectissime: *Cum predicatur DEUS de Patre, Filio & Spiritu S. non ut genus de speciebus, nec ut species de individuis predicatur, sed alio quodam ineffabili & incomprehensibili modo.*

40. Nec improbandum, quod Suarez ait disp. Metaph. 5. s. 1. n. 6. *Divina natura ita in se una est, ut multiplicari non possit, aut in plures similes dividi. Communicatur autem tribus personis, non ut universale particulari, neque ut superius inferiori, sed ut forma seu natura suppositis, in quibus ipsa, neque ab ipsis, neque a se ipsa dividitur; quia tota est in singulis, & in omnibus simul, omnino indistincta ab illis.*

41. Ex quo fundamento porro evidens necitur argumentum pro indefinitate DEI. *Αὐτὸ δὲ ἐστὶ πᾶσι ἀρ. & καθόλου*, docet Philosophus I. 2. Post. c. 13. Hinc quod definitur, debet esse *ubique & nusquam, semper & nunquam*, id est, abstrahere ab hic & nunc, quæ sunt conditiones individuantes, I. 1. Post c. 24. Dei autem unitas est maximè individua & singularis; Ergo.

42. Sunt tandem, qui urgent: licet homo viribus naturæ in hoc statu DEUM quidditative cognoscere seu perfecte definire nequeat: posse tamen eum hoc præstare, si elevetur & vires supernaturales à DEO ad hoc accipiat. Imò contradictionem non implicare aunt, DEUM per suam omnipotentiam facere creaturam, quæ ipsum perfecte cognoscat seu definiat. Item, DEUM angelum aliquem, vel hominem, vel utrumque, ejusque

7
ejusque intellectum posse elevare & illuminare, tan-
tasque ipsi largiri vires, ut quidditative ipsum cognoscat,
& quidem tum in hac, tum in futura vita.

43. Hæc autem folia farsari & pueriles nugas esse
quis non intelligit? Non quæritur jam, quid homo
possit in statu supernaturali; neque quid DEUS per an-
gelum vel hominem elevatum, ac viribus supernatu-
ralibus donatum, possit: sed simpliciter num ipsius es-
sentia accurata & perfecta definitione, certis legibus
astricta, prout ejus normam ac formam ab Aristotele
habemus præscriptam, possit explicari & cognosci.

44. Atque hoc est, quod nos semper pernegamus,
tum de divina essentia *in se & absolute* spectata, tum etiã
respectu nostri. Et quoniam illi ipsi, qui nobis aliãs con-
tradidunt, concedunt, ea, quæ contradictionem invol-
vunt, nullã potentiã, nec infinitã, nec finita fieri posse:
hinc nos inferimus, DEUM, *qui solus purus actus est*, Scal.
Exerc. 61. § 5. nullo modo posse definiri; quia sequere-
tur aliãs, ipsum esse simul DEUM & non DEUM.

45. Quippe maxima arctissimaque definiti ac de-
finitionis connexio est, ita ut nihil essentiale detur in-
definito, quod non & in definitione exprimendum sit.
Hæc verò cum sit tantum compositorum, & absque
multiplici imperfectione, de qua superius, ne cogitari
quidem possit, certè DEUM definire, nihil erit aliud,
quam ex DEO facere non DEUM.

46. Posito nunc & comprobato, DEUM *in se &*
absolute spectatum non posse definiri in rigore: se-
quitur ultrò, Eundem nec à se ipso nec ab aliquo intelli-
gente creatura, quæcunque hæc, & in quocunque et-
iam sit statu vel vita definiri posse. Atque sic op-
pidò falsum erit, DEUM absque contradictionis im-

7
plicatione facere posse creaturam, quæ ipsum perfectè cognoscat seu definiat.

47. Si forsan dicis: Non requiri ad veram & exquisitam definitionem propriè sic dictum genus & differentiam; quia etiam summa genera suis gaudent definitionibus, quæ tamen hisce destituuntur; fallis & falleris. Nam in Philosophia Aristotelica genera *suprema & individua* non definiuntur, sed tantùm describuntur. *Illà*, quia nullo constant genere, nullaq; specifica differentia, quæ cum genere certam constituit speciem, l. 6. top. c. 6; *hac*, quia non sunt universalialia &c.

48. Sic ergò certa ac firma conclusio: **DEUS** Opt. Max. viâ definitionis Logicæ cognosci nequit. Quod etiam Cyprianus vult in prol. lib. de Operibus Christi cardinal. pag. 288. *Divinitas, inquit, non est definibilis.* Et Augustinus lib. de cognit. veræ vitæ, c. 7. *Sicut summus ille Spiritus, qui DEUS est, à nullo intellectu valet propriè excogitari: ita nulla definitione potest propriè definiri aut determinari.* Inprimis Hilarius l. de Trinit. *Certè hoc est DEUS, quod cum dicitur, non potest dici: cum estimatur, non potest estimari: cum definitur, ipse sua definitione crescit.* Plura veterum testimonia vide apud Chemnit. part. 1. Loc. de DEO, cap. 3, Gerh. Exeg. tom. 1. Loc. 2. cap. 5. & alios, tùm Theologos, tùm Philosophos passim.

A D D I T A M E N T A.

I.

BEATUS noster ac verè Theander Lutherus definiens in Catechismo minori Sacramentum altaris, quod sit *verum corpus & verus sanguis Domini nostri JESU CHRISTI, sub pane & vino nobis christianis ad manducandum ac bibendum ab ipso Christo institutum*, non peccat contra canonem

nonem logicum: *Genus definitionis & species definita in eodem sint predicamento*, ex Arist. lib. 4. top. c. 1. & lib. 6. c. 3; quicquid etiam nobis obganniant Keckermannus, Goclenius & alij Calvini discipuli,

I I.

Similiter nec in definitione Baptismi, *qua eum non simpliciter aquam esse dicit, sed aquam divino mandato comprehensam, & verbo DEI obsignatam.*

I I I.

Imò ipse Keckermannus in canonem istum, quem lib. 1. Syst. Log. c. 3. vocat *utilissimum*, non leviter impingere videtur, quando lib. 3. Syst. Theol. c. 8. pag. mihi 359. Sacramentum definit, quod sit *ordo Sanctus inter rem externam in sensus incurrentem, & visui in primis objectam, tanquam signum; & inter rem spiritualem tanquam signatum &c.* Sacramentum enim propriè & formaliter loquendo, ad Categoriã *Actionis* pertinere, præterquam quòd communis orthodoxorum Ecclesiæ Doctorum sententia est, etiam ex ipsis Calvinianis nonnulli, haud dubiè veritatis evidentiã convicti, affirmare videntur, dum genus Sacramenti faciunt *Actionem*, ut Beza, Bucan^o, Piscator, Trelcatius, Zepperus. Cum primis notandum, quod P. Martyr scribit clais. 4. loc. com. cap. 10. §. 36; *Sacramenta tota in actione consistunt, quòd sublatà non amplius sunt sacramenta.* Fr. Junius tom. 1. Op. pag. 1736. *Actionem* ita genus Sacramenti constituit, ut pag. præced. 1728. *Signum* esse perneget. Quorsum verò *Ordo* sit referendus, nòrunt etiam, qui primis saltem, quod dicitur, labris, præcepti unculas Logicorum degustârunt.

I V.

Vera est definitio Johanna^a 1. Ep. c. 3. v. 4: *ἡ ἀναλογία ἐστὶν ἡ ἀνομία*, non obstante, quòd definitio dicatur *Ora-*

110

7
tio, suprâ thes. 9. ex Arist. atq; sic *aliquid complexum*, lib.
v. c. 4, quod duabus minimùm constare debet
vocibus: alterâ quæ gignit in mente conceptum con-
venientiâ; alterâ, quæ distinctionis, differentiâq; ut
explicat. Fonseca lib. 5, Inst. Dial. c. 1.

V.

Sæpe quod in Theologia verum est, in Philosophia
nec verum, nec falsum est. Contrâ, omne, quod in
Philosophia verum est, in Theologia nunquam falsum,
sed semper verum est.

Ad Præstantissimum Doctissimumq;

DN. JOH. WOLFFGANGUM KLEESATTE-
LIUM, SS. Theologiæ Studiosum dexterrimum,
amicum suavissimum.

STant acies. Hinc pura FIDES se opponit, at isthinc
Impietas longâ cinctâ cohorte furit.

Altera vim nescit cælumq; reportat inermis;
Altera sæva, potens in Phlegethonta ruit.

Ergò illi meritò se KLEESATTELIUS addit,
Et sua WEINMANNO præside, sensa probat.

Quàm benè! Alexandro duce nil Macedo aspera curat:
Nunc & Alexandro rem gerit iste duce.

Adspice doctrinam SOPHIESq; innoxia dona,
Scitaq; in humano pectore clausa DEI,


Quin niveos mores & dictis consona facta
Et quicquid magnum est adspice, PRÆSES habet.

f. L. MQ.

CHRISTOPHORUS-ADAMUS RUPERTUS
Historiar. Prof. Pub.

FINIS.





21.

sive in ligamine Viventium, quo scilicet ligatur & reconditur, ut illasa servetur inter Vivos; Res funda, ad hoc in ea ponitur, ut fundam illud ejiciat li ergo modo DEVS rotabit qf. in funda, vitam inanimam eorum e corpore expellat & evibret, eos-

in hoc modo dictus Autor risu excipiendus inter alia etiam immisceat suffragia pro de Sebastianus Munsterus, licet hereticus, hic, (Sera- Deuteron. 14.) quippiam notatu dignum affert Forum, veterique ritu orandi pro mortuis. Per Viventium intelligunt Hebraei solium Majestatis, rum Animas in seculo alio quiescere. Hinc etiam passim insculpant hanc sententiam: Anima ejus utium: Sicuti, requiescat Anima ejus &c. De scribitur: Precationes Iudaorum pro defunctis, cardus. Sed, quæ Consequentia? Justorum Majestatis in alio seculo quiescunt. E. peranti- is precum usum adhibent.

verò III. Noster omnium communis Præcedus (k) וְיָיָה עִם אֲבוֹתָיִם, respicit particulam אֲתָא אֲתָא אֲתָא cum Domino DEO tuo, & stan non solum de Conservatione Vitæ in periculis & etiam de beato Anima Davidis post mortem statu m, inquit, erit colligata cum Domino DEO tuo, sive ad Dominum DEVM tuum. Ex quo loco colligit ustorum esse repositas sub throno gloria, ac Iudæi m inscribere solent: מְנוּחָתָהּ בְּצִוּוֹת הַתְּיִים Quies ejus in loculo viventium s mulieribus Amen, Amen, Amen, Selah, נְשִׂמָתָהּ הַזֶּה צִוּוֹת בְּגֵן עֵדֶן א

ta in horto Eden, cujus mentio fit Gen. 2, 15. us Paradisum voluptatis vocat, & Cl. Buxtorf. Adamus primus, veluti colonus, a Deo Creatore collo- aicæ & Chaldaicæ vocatur a Voluptate. Midrasch C 3. Cohe.

III. Senten- tia. D. Gerh. Tom. IIX. de morte LL. 5. 160. p. III. 274.

1) Gen. 2, 15 m) In Lexic Chald. Talmud. Rabb. p. 1580.

